

persecutione Christianorum turbare certe noluerit; mox autem a persecutione, ut Act. 12. innuitur, obierit, secundum Josephum aliosque an. Regni 3. completo : 3^o. Quia secundum epistolam ad Galat. an. Conversionis 14. A.E. C. 44. Paulus Petrum Hierosolymæ convenit : 4^o. Quia teste Lactantio. L. de Morte Persecut. c. 2. cum jam NERO imperaret, Petrus Romam advenit.

R. Nulla hic chronologia assertur quæ caret difficultatibus : quod si noceret historiæ, nihil, ut alia præterea, certum de ortu et morte Christi haberemus. Cæterum difficultates objectæ facilem solutionem habent.

Ad 1. R. Argumentum hoc sup. Probationibus jam est confutatum : nec accipit pondus sive ex libris Recognitionum, utpote apocryphis et Clementi falso adscriptis, sive ex Orosio, qui ibid. testatur, nullam sub Tiberio adhuc Romæ fuisse Christi Ecclesiam : unde decretum istud Christianos tantum, Romæ negotiorum causa adventantes, spectabat.

Ad 2. N. A. Chronologia AGRIPPE rem nostram potius juvat. Is enim a Caio iam donatus Tetrarchia Galilææ, a Claudio etiam, mense, Januario ad Imperium assumpto, principatu Judææ et Samariae auctus, atque Præsidibus Provinciarum commendatus, non multo post CLAUDII initia deferebatur in Judæam. Hic res Judæorum Ecclesiasticas primum aggressus, ut ex mutatione Pontificum Synagogæ facta liquet, nihil pronius habuit quam ut ad novellam Christi religionem exscindendam ferretur, indeque, ut captaret Judæorum animos, Jacobo occiso, Petrum etiam morti destinaret. Quod de morte AGRIPPE in Actis Apost. subjicitur, sicut cum persecutione Christianorum, tanquam causa, non erat conjunctum, sic nec tempore : unde narratio continuata liberati Petri discessum ad CLAUDII an. 4. non retrahit, cuius adventum Romæ tot sup. allata testimonia an. 2. adscribunt.

Ad 3. R. An. A.E. C. 44. Paulum Hierosolymis fuisse ipsi in Chronologia asserimus : sed Cepham, quem junctis dextris sibi conciliavit, postea autem Antiochiae reprehendit, eumdem esse cum Petro negamus.

Ad 4. R. Venit quidem Petrus, cum NERO jam imperaret, Romam secundo non autem primo ; cum ipse Lactantius ibid. premittat, Apostolos per 23 annos usque ad principium Neroniani imperii per omnes Provincias et civitates (quas inter Roma certe fuerit) Ecclesiæ fundamenta misisse.

Inst. 4. Eadem est difficultas in Epochæ mortis a Petro obitæ. Prob. 1^o. Quia an. 13. NERO juxta Xiphilinum in epitom. Dionis, Roma absens agebat in Græcia : 2^o. Quia teste Orosio L. 7. hist. c. 5. post persecutionem, qua Petrus et Paulus etiam perierunt, clades et pestis oppresserunt ; quæ notante Tacito L. 16. Annal. et Sueton. c. 39. Nerva et Vestino Cons. h. e. an. Neronis 11, A.E. C. 65. evenerunt : 3^o. Quia Chronicon Liberianum de Petro sic habet : « Passus die 3. Calend. Julias, consulibus Nerva et Vestino, imperante Nerone. »

Ad 1. R. Quem Philostr. in vit. Apollon. L. 4, in Achaiam sub consulatu Telesini seu an. Ner. 12. abiisse dicit, eumdem sub Capitone et Rufo seu an. 13. triumphantem Neronem Suetonius c. 25. reducit ; unde Xiphilinus facile explicatur : qui si expositionem non admitteret, poterant Petrus et Paulus septem jam mensibus carcere detenti, etiam absente Nerone, subire martyrium.

Ad 2. R. Ex Suetonii et Taciti calculo cœptam mox Christianorum persecutionem exceperunt plagæ ; ab Orosio non item mors Apostolorum inter

persecutionis initia refertur : unde inchoatam an. A.E. C. 63. principio crudelitatem subsequens autumnus poterat ad terrorem inferre illa mala ; nec tamen territa, sed sicut in Provincias diffusa, sic per gradus ascendens saevities, altero post anno, ad extirpandum ipsum Christi nomen, Apostolis manus injecisset ; que videtur esse sententia periodi Orosiana.

Ad 3. R. Appellatio consulum infidelis est et mendosa. En fragmentum huc pertinens : « PETRUS annis 25 fuit, temporibus Tiberii Cæsaris, et Caii, et Tiberii Claudi, et Neronis, a consulatu Vinicii et Longini usque ad consulatum Nerv. et Ves. Passus autem cum Paulo die 3. calendas Julias Consulibus supradictis, imperante Nerone. Linus fuit temporibus Neronis, a Consulatu Saturnini et Scipionis usque Capitone et Rufo. » Ea in lectione mendum non unum cubare, ipsa computatio ostendit. Si enim per sigla Nerv. et Ves. accipiatur Nerva et Vestino ; a Cons. Vinicio et Longino, qui an. A.E. C. 30. presidebant, usque ad Nervæ et Vestini consulatum, an A.E. C. 63. congruentem, non 25 sed 33 anni numerandi sunt : si vero sub siglis sic restitutis Ner. et Vet. intelligatur Nerone et Vetere, Consulibus an. A.E. C. 53. signantibus ; refinebitur quidem numerus 25 annorum notatus, sed mors Petri subjecta ad *Consules supradictos* h. e. Neronem et Veterem referri tunc nequit.

Postremum errorem corrigendi modus tanquam facillimus nobis probatur iste : ut solum sensus de morte Petri, loco suo amotus, subjiciatur post sententiam de Lino. Hac enim transpositione facta, anni 23 Consulatum Vinicii et Longini inter ac Consulatum Neronis et Veteris positi sibi constabunt ; *Consules autem supradicti* ad Capitonem et Rufum relati annum martyrio Petri hactenus assertum rite designabant.

168. *Observa.* Ex dictis probabilius appareat, PETRUM non voluntario consilio et facto mero, sed voluntate Dei et mandato, et sic aliquo Jure Divino, venisse Romam ac ibidem ad mortem usque mansisse. Huc enim spectare videtur, dum Euseb. L. 2. hist. cit. dicit, benignam et propitiam Dei erga humanum genus providentiam Petrum Romanum *quasi manu deduxisse*; Clemens Alex. L. 6. Hypoth. Petrum *Spiritu sancto afflatum* Romæ Evangelium prædicasse asserit; Leo Serm. de Pet. et Paul. *divinis præordinationibus* id factum ait : dum *impulsum aut mandatum Dei* memorant, qui Petri cum Simone Mago certamen referunt : dum denique Athan. L. c. scribit audivisse Petrum, quod *mortem Romæ subire oporteret*; dumque alii sup. laudati, Petrum *occurrente et monente Christo* Romanum ad martyrium rediisse, narrant. *Voluit autem Christus*, ut Gelasius in Decr. de Scriptur. apocryphis inquit, *Petrum Romæ pati*, ut morte Petri *Primatus in Romana sede firmaretur*; de quo nunc agendum venit.

ARTICULUS II.

An Romanus Pontifex obtineat Primatum Ecclesiæ?

169. *Nota 1.* Quem Ecclesiæ Primatum frusta hactenus PETRO negare conati sunt, eumdem majori etiam contentione, nec meliori fortuna, Romanis Pontificibus eripere laborarunt Schismatici æque ac Hæretici ; inter primos

praesertim NILUS, Archiep. Thessalonicensis et Sec. 14. scriptor, libro singulari; inter postremos, Novatores posteriorum temporum plerique: quibus postrema ætate jungere se non erubuerunt Scriptores Janseniani, effuentes, Pontificem esse duntaxat inter pares primum; siveque ordinis, non potestatis, primatum illi tribuendum. Contra, Catholicorum dogma fidei est, hanc auctoritatem Romano Episcopo convenire. Eamdem quidam secundum potentiam primigeniam et adventiliam dividunt in primaria et secundaria reservata: illis, quæ officia summi imperii (num. 153.) diximus, fere pleraque assignantes; His autem, quæ cause majores vocantur, adscribentes.

170. *Nota II.* Nobis hæc distinctio non admodum necessaria videtur; sed ad enarratas num. cit. potestatis partes coepio semel tenore attendimus, rati reliqua, quæ reservata secundaria appellantur, non tam ad potestatem adventitiam, quam ad potestatis primigeniae usum et exercitium pertinere. Porro ad dogma Catholicum stabiendum facilius, præter dicta hactenus de Petro tanquam supposita, præmittimus propositiones alias, velut dicendorum bases ac prærequisita.

I. Admittendus est *aliquis* in primatu Petri successor. Hoc enim exigit 1º. perpetuitas Ecclesie; quæ sicut Matth. 16. v. 18. fundata est in Petra, sic sine hac stare et contra portas inferi prævalere nequit, ut ideo AMBR. in Psal. 40. scripserit: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia*: 2º. Gubernatio Ecclesie, in pastore Joan. 21. v. 17. ovibus Christi omnibus præfecto instituta; qui pastor unus ex Joan. 10. v. 16. durare debet, quamdiu oves Christi sunt et extat unum ovile; indicante id AUG. dum Serm. 24. de Sanct. c. 2. diceret: *In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum*: 3º. Unitas Ecclesie; quæ sive juxta 1. ad Cor. 12. v. 21. ab uno capite corporis mystici, sive ab eadem regiminis forma derivetur; cessante illo, aut hac mutata, eamdem quoque desinere ac tolli necesse est; CYPR. EP. 53. contestante, *hinc oriri hæreses et schismata, quod unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi non cogitur*. Idipsum illustratur ex figura Synagogæ; cuius summum Sacerdotium per successionem continuatum idem ad Ecclesiam Christi usque perseveravit; item ex comparatione Petri cum Apostolis; quorum potestas Episcopalis etiamnum successoris beneficio constat, Apostolatus dignitate sic etiam duratura, nisi extraordinaria fuisset et pro fidei Ecclesiæque principiis duntaxat requisita, sed ad ordinarium regimen, ut primatus, necessaria: denique ex Patrum suffragio, quos inter Chrys. L. 2. de Sacerd. inquit: *Quanam de causa Christus sanguinem suum effudit? certe ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat*; et Leo Serm. 2. de anniv. assump. *Manet dispositio veritatis, et Petrus in accepta fortitudine perseverans, suscepta Ecclesie gubernacula non relinquit: perseverat videlicet Petrus, et vivit in successoribus suis*.

II. Successor iste quovis tempore potest tantum esse *unus*, seu unica persona. Primatus enim per successionem eo modo conservari debet, quo est institutus; alias vel succederetur contra Christi institutionem, et illegitime: vel nova institutio, probari nescia, requireretur: fuit autem primatus penes unum Petrum et monarchicum regimen in Ecclesia et a Christo constitutum, ut posteriori art. est ostensum: ergo. Accedit quod, si plures Episcopi simul Petro succederent in primatu, id fieri deberet a pluribus, vel divisim et a

singulis in partes, vel indivisim et a quolibet in solidum, vel collectim et ab omnibus in modum unius. Sed in primo scinderetur primatus, tolleretur unitas, et nullus istorum esset successor Petri adæquatus, contra ac CYPR. L. de unit. Eccl. dicit: *unum caput est, et origo una, et una mater fecunditatis, successibus copiosa*: in secundo foret positive superior omnibus, sed negative tantum, seu non habens superiorem: prius autem facit, nullum esse successorem Petri, qui positive superior fuerat; posterius destruit rursus unitatem, et corpus Ecclesie monstruosum singit; contra ac CYPR. EP. 52. scribit: *Cum post primum secundus esse non possit; quisquis post unum, qui solus esse beat, factus est, non jam secundus illi, sed nullus est*: In tertio non successio foret, sed nova creatio seu alterius regiminis institutio, caritura tamen omni probatione. Præterea autem, præscindendo adhuc a comparatione Papæ cum concilio, primatus haud foret in multitudine dispersa, quin in primum aut secundum casum proxime refutatum impingeret: si autem penes congregatam tantum resideret; per plura secula subin primatus ab Ecclesia abesset, aut nullius saltem effectus potens foret; contra ac in 1^a. prop. est demonstratum.

III. Istiusmodi successor debet esse *determinatus*, ac in individuo posse cognosci. Sicut enim ex Christi institutione Ecclesia vera in particulari visibilis est; sic ex fine primatus et Christi institutione necessarium est, illum Petri successorem in hac visibili Ecclesia, in sede determinata et successione esse visibilem: alioqui vel reipsa successor in primatu non esset; cum existere singularibus tantum ac individuis conveniat, vel confusa vague sive fides, sive existimatio de aliquo in terris primatu et vicaria Christi potestate, nec Ecclesiæ gubernationi nec fidelium instructioni prodesset.

IV. Nullus successor Petri in primatu alias, praeter Romanum Episcopum, designari potest. Sive enim primatus conjunctus dicatur cum certo Episcopatu, sive ab eo liber et solitus, quo dupli modo diversis temporibus Petrus primatum tenuerat; neutra via ad successorem Petri devenire licet, nisi in Romano Episcopo sistatur. Etenim, quod primum attinet, ne Patriarcharum quidem ullum successisse patet; cum Petrus sedem Antiochenam, auctoritatem suam retinens, deseruerit; Hierosolymitanam quantumvis præsens non occupavit; Alexandrinam nunquam adierit; Constantinopolitanam autem multo tempore posthumam ne noverit quidem; quoad secundum vero, quavis concedatur Primatum et singularem Episcopatum duas esse dignitates distinctas et separabiles; certum tamen est, nonnisi unam personam Petro ubique successisse, adeoque vel illam personam simul fuisse haeredem primatus, vel primatum periisse: sed posterius asseri ex dictis non potest, nec prius etiam; cum persona illa, Romano Pontifice excepto, nequeat designari: ergo.

171. Dico. Primatus Ecclesiæ, quem habuit S. PETRUS, est penes Romanum Pontificem. Sequitur hæc assertio ex jactis hactenus principiis, ex quibus constat, Petrum habuisse primatum, eumque perpetuo duraturum; duracionem hanc, cum stare in Petro mortali non posset, haberi per continuatam personarum in eadem dignitate successionem; Successores hos, non simultate, sed serie tantum esse plures, eosque determinatos ac singulares; solos denique Romanos Pontifices designari posse tanquam hujusmodi successores; tum quia hi uni Petro in Romana Sede mortuo successerint: tum quia Petri

successores vel nulli sint, vel alibi sequentes, primatus hinc eum Petro abeuntis heredes esse non potuerint. Eadem declarata et proposita est universae Ecclesiae in Concil. Florentino, quod in Decret. Unionis cum Graecis sic loquitur: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum, Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis ecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.*

Probatur. Cui sedi aut Episcopo a Conciliis, Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis, communi testimonio adscribitur vel ipsa Primatus dignitas, vel Petri successio et hereditas, vel Apostoli hujus actio et auctoritas, penes illum Primatus Ecclesiae statuendus est: sed Romana Sedi et Episcopo haec omnia et singula adscribuntur a memoratis testibus: ergo.

Et quidem, quoad 1. Primatum disertis verbis adjudicant, in Concil. Chalcedonensi Act. 16. Judices sic elocuti: *Perpendimus omnem primatum et honorem praecipuum secundum Canones Antiquae Romae Archiepiscopo conservari.* Epistola Adriani ad Tarasium in Nicaeno II. Act. 2. lecta et probata sic habet: *Cujus Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit: Lateran. IV. cap. 4.* Patres dicunt: *Romana Ecclesia, dispONENTE DOMINO, super omnes alias ordinarie potestatis obtinet principatum: Iren. L. 3. adv. haer. c. 3. Ad hanc Ecclesiam propter potentiores principaliatatem necesse est omnem convenire Ecclesiam: Anastasius II. in ep. ad Anastas. Imp. Per ministerium meum, sicut semper est, sedes B. Petri in universalis Ecclesia assignatum sibi a Domino tenet principatum.* Præterea verbis equipollentibus idem edicunt Patres Concil. Constantinopolitani I. in ep. ad Damasum; fatentur Romanam Ecclesiam esse caput, se autem membra: Chalcedon. Act. 1. 2. et 3. Leonem vocat universalis Ecclesia Pontificem: Constantinopolitani III. ep. Synodalis ad Agathonem haec habet: *Itaque tibi ut prime Sedis Antistiti universalis Ecclesiae, quid gerendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram: litteras confessionis vestrae, ut a Summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus: Joannes II. in ep. ad Justinian. Imp. scribit: Romanam Sedem omnium vere Ecclesiarum caput et Patrum regulæ et Principum statuta declarant: Theodoret. in ep. ad Renatum: Tenet sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum: Ambros. in 1. ad Timoth. 1. Cum totus mundus Dei sit, tamen domus ejus Ecclesia dicitur, cuius hodie rector est Damasus etc.*

Quoad 2. Romanos Pontifices Petro successores datos dicunt et enumerant Irenæus L. 3. c. 3. usque ad Eleutherium, Tertul. L. 3. cont. Marcion. c. ult. usque ad Telesphorum, Optat. Milev. L. 2. cont. Parmen. usque ad Siricum, Augustin. ep. 163. usque ad Anastasium. Iisdem cum successione hereditarias Petri prærogativas attribuunt, Hieron. in ep. ad Damas. de hypostas. *Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquer: ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri communione consocior: super illam petram adificatam Ecclesiam scio: Augustin. in Psal. cont. part. Donati: Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede: ipsa*

est petra, quam non vincunt inferorum portæ: Leo Serm. 1. de Natal. Apost. Per sacram B. Petri sedem, Roma caput orbis effecta, latius præsidet religione divina quam dominatione terrena: Prosper in Carm. de Ingratis: Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet armis, religione tenet.

Denique quoad 3. Actionem et auctoritatem Rom. Pontificum quasi eamdem aut profectam a Petro agente et auctore traduat in Concil. Ephesin. Act. 3. Philippus Legatus nullo reclamante effatus: *Nulli dubium est, imo seculis omnibus notum, quod S. Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae Catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exerceat: in Chalcedon. Act. 2. post lectas Leonis litteras, Episcopi sic exclamarunt: Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus: anathema ei qui ita non credit: Petrus per Leonem ita locutus est: Act. 18. Synodi VI. acclamarunt: Summus nobiscum concertabat Apostolorum princeps; illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorum: charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur: STRICUS in ep. ad Himer. scribit: Portamus opera omnium, qui gravantur: quinimo hec portat in nobis Petrus Apostolus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit ac tuetur heredes: LEO in ep. 2. ad Pulcher. ait: Consensiones Episcoporum, Nicæni regulis repugnantes, unica nobiscum fidei vestrae pietate, in irritum mittimus, et per auctoritatem B. Petri Apostoli generali definitione cassamus.*

Universim tandem ac de omnibus audiri meretur S. BERNARDUS L. 2. de Consid. c. 8. ita Eugenium alloquens: *Tu princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius præ ceteris nomen hereditasti: habent illi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus: nec modo ovium sed et pastorum omnium tu unus pastor. Unde id probem quaris? ex verbo Domini: cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves...? Ergo juxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: tua extenditur in ipsis, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa exliterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere etiam et tradere Satanae potes? stat ergo inconcussum privilegium tuum, tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis.*

Confirmatur. Cui sedi ac Episcopo cura universæ Ecclesie, legum generalium potestas, magistratum supremorum ordinatio et causarum majorum judicium convenit, illi tribuendus est primatus Ecclesiasticus, his maxime facultatibus tanquam præcipuae auctoritatis partibus constitutus: sed Romana Sedi ac Episcopo convenienti omnes ex ordine ejusmodi facultates: ergo.

De prima quidem testantur, Concil. Chalcedonense in ep. ad Leonem: Et

post hæc omnia insuper et contra ipsum, cui vineæ custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem; Athanas. in ep. ad Felicem: *Ob id vos Prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit: Acacius in ep. ad Simplicium: Sollicitudinem omnium Ecclesiarum secundum Apostolum circumferentes, nos indesinenter hortamini: Leo ep. 4. Divinis præceptis et Apostolicis monitis incitamus, ut pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu.*

De secunda, potestatem ferendi leges probant Patres Ephesini Act. 1. in damnatione Nestorii sic pronuntiantes: *Coacti per sacros canones et epistolam Cœlestini Romanae Ecclesiæ Episcopi, ad hanc contra eum sententiam necessario venimus: DAMASUS in ep. 3. ad Aurelium: Ea te custodire optamus, et aliis prædicanda ac publicanda mandamus, ut ab omnibus inviolate debita veneratione custodianter: Leo ep. 87, ad Epp. Africæ: Quod utcumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam, quod omnino interdicimus, usurpare præsumperit. Potestatem solvendi sive per dispensationem sive per abrogationem probant tum facta GREGORII ep. 31. ad Felicem cum Anglis circa gradus matrimonii prohibitos, et cum Siculis circa Concilia singulis annis bis celebranda dispensantis; Adriani in ep. ad Basil. Imp. in Constantinopolitano IV. Act. 1. lecta ob delinquentium multitudinem Canones relaxantibus; GELASII in ep. 4. in aliis multis indulgentis: tum verba et sententiae ejusdem Gelasii ibid. ita prefati: Necessaria rerum dispositione conjungimur, et Apostolicae Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro Præsulum Decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiæ relaxanda depositit, adhibita consideratione diligent, quantum potest fieri, temperemus; et NICOLAI in ep. ad Michael. Imp. Quoniam secundum canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sic deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum; patet profecto sedis Apostolicae, cuius auctoritate major non est, judicium a nemine retractandum.*

De tertia exemplum præbet Conc. Chalcedon. Canon 28. Sedi Constantinopolitana primum post Romanam Patriarchatus locum deferens, quem tamen Leo rescidit nec vigece concessit; quamvis ex ejus consensu firmitatem obtinere potuisse Patrum supplicatio testatur, qua inquietant: *Rogamus et tuis decretis nostrum honora judicium; et sicut nos capiti in bonis adjicimus consonantiam, sic et summa tua filii, quod licet, adimpleat. Præterea ad Romanos Pontifices pertinere Episcoporum institutionem, apparet ex LEONIS ep. ad Epp. Afr. Donatum Salicinensem ex Novatiano cum sua plebe conversum ita Dominico volumus gregi præsidere, ut libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum; et ex GREG. ep. 34. ad Constantiam Augustam: Salonitanæ civitatis Episcopus, me ac Responsali meo nesciente, ordinatus est: et facta res est, quæ sub nullis anterioribus principibus evenit: item Episcoporum depositionem; de cuius facto docet Nicolaus in ep. ad Michael. Imp. circa octo Patriarchas Constantinopolitanos, Gelasius in ep. ad Epp. Dardan. circa Petrum Alexandrinum, Theodoret. L. S. hist. c. 23. circa Flavianum Antiochenum, Acta Sixti III. circa Polychronium Hierosolymitanum; de jure autem, Patrum Ephesinorum testimonium nuper recitatum: denique eorumdem restitutionem; quam præter plurimorum alia, tum exempla tum facta suppli-*

cantium Athanasii et Chrysostomi legitimam demonstrant: quibus accedit evocatio in Conc. Ephesino Act. 1. his verbis prolati: *Ingridiatur Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi; quia restituit ei Episcopatum Sanctissimum Romæ Archiepiscopus.*

Tandem de quarta, pro referendis ad Rom. Pontifices causis majoribus, universim testatur Syn. Sardicensis in ep. ad JULIUM: *Hoc optimum et valde congruentissimum videbitur, si ad caput, id est, Petri Sedem, de singulis qui busque provincialis referant Domini Sacerdotes; ad eamdem provocat INNOC. I. in ep. ad Victricium Rothomagensem: Si autem maiores causæ in medium fuerint devoluer, ad Sedem Apostolicam, sicut synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur. Speciatim de causis quidem ex magnitudine rei majoribus, præter testes auctoritatem Pontificiam ad confirmanda Conciliorum negotia requirentes et num. 150. laudatos, edicunt tum GREGOR. IV. in ep. ad Epp. universos scribens: Nulli dubium est, quod non solum Pontificis causatio, sed omnis sanctæ Religionis relatio ad Sédem Apostolicam, quasi ad caput Ecclesiarum, debeat referri, et inde normam sumere, unde sumpsit exordium, ne caput institutionis videatur omittere; tum INNOC. IV. in ep. ad Archiep. Arelatensem: Maiores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui cum quarente Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse narrabat: Tu es Christus filius Dei vivi, et pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.*

De causis autem ex magnitudine personarum majoribus constat, circa Patriarchas quidem, dum Patres Ephesini in relatione ad Cœlestium causam Joannis Antiocheni summo Pontifici reservant: circa Metropolitas autem, dum Romana Synodus, sub DAMASO, Imperatores sic compellat: *Jubere Pietas vestra dignetur, quicumque vel Fratris nostri Damasi vel nostro judicio fuerit condemnatus, atque injuste voluerit retinere Ecclesiam; accitus Romanus veniat, aut ad Metropolitanus ducatur examen: vel si ipse Metropolitanus fuerit, Romanum necessario, vel ad eos, quos Rom. Episcopus judices dederit, contendere sine dilatione jubeatur: circa Episcopos demum; JULIUS I. in ep. ad Orientales can. 9. Caus. 3. Quæ. 6. inquit: Dudum a sanctis Apostolis et successoribus eorum in antiquis statutis fuit decretum, quod hactenus sancta et universalis tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari; quoniam sanctam Ecclesiam Romanam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt; quod ipsum confirmat Tridentin. Sess. 24. c. 5. de Reform. sic statuens: *Cause criminales graviores contra Episcopos, etiam heresis, quod absit, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tamen Summo Romano Pontifice cognoscantur et terminentur. De reliquis causis aliunde majoribus aut quacumque ratione Pontifici reservatis Libri decretales abunde commemorant.**

172. Objec. Primatus Romanorum Pontificum caret fundamento in Scriptura; ergo. Prob. Ant. 1º. S. PAULUS tum. 1. ad Cor. 12. v. 28. tum ad Ephes. 4. v. 11. recenset gradus et ministeria Hierarchie Ecclesiastice, nulla tamen mentione Summi Pontificis facta: 2º. ibidem ad Ephes. v. 3. et seqq. ex unitate Christi, fidei, et spiritus probat unitatem Ecclesie, non autem ex unitate capitum visibilis et Pontificis: 3º. Rursus ibid. v. 7. gratiam ait datam